Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2235
Quelle:
Copyright:

lubriter gloriosum et *fideliter fructuosum* proponit, doletque Praesules esse, qui ab ejus exemplo descisscunt, qui *cum de grege et sarcina agitur, brachia subtrahunt, et a cura pastorum se omnino subducunt, laborem effugiunt — lac et fetus perquirunt, et gregem varijs periculis et incursibus relinquere non verentur, et vbi debuerunt esse solliciti presules, loco illorum president desides seculares. Timeo ne in lupos sint tales mutati pastores, dum emungere satagunt, non protegere, tondere oues, non defendere, ecclesias negligere et fructus colligere* &c.

Fol. 378. *Sermo factus per R. magistrum petrum de bruxellis ipso die annuntiationis beate marie virginis.* Aliam Viri hujus Orationem vulgavit *Herm. v. de Hardt* T. I. *Conc. Const.* P. 17. p. 855. Nostra Thema habet: *Ecce Virgo concipiet* &c. In *Cod. Blavifont.* est ἀνώνυμος. Incipit: *Excedit multumque supereminet humani colloquij facultatem* &c. multumque in corruptos Cleri mores invehitur, quin et Prophetam induit: *Destructio studiorum, quam concomitatur penuria sapientum, et hanc sequebatur destructio grecorum; prelacio puerorum et ignorancium ac prauorum hoc erit destructio latinorum* &c.

Fol. 387. p. 2. *Sermo factus per Magistrum Richardum* (Fleming) *Doctorem Oxonien. Surge, illuminare iherusalem* &c. Habitus *in die Epiphaniae*, ut jam retuli hoc *Vol.* inter *Codices Polemicos.*

Fol. 398. *Sermo factus exhortacionis pro defuncto.* Non pertinet ad Concilium. In quadam Synodo Dioecesana, nescio quis, *karissimos Fratres* adloquitur, eisque Sacerdotum officia graviter inculcat. Thema est: *Dispone domui tue* &c. Initium: *Ad eligendum ex premissis verba aliqua, que sunt ad laudem* &c. Dixi alibi perperam habitum pro Parentatione Card. *Barensis.*

Fol. 406. *Collacio Episcopi Laudensis.* Saepe dicti in condemnatione *Joh. Hussi*, in illud: *Destruatur corpus peccati* &c. multoties relata.

Fol. 408. p. 2. *Collacio facta super condempnacione Jeronimi de praga Episcopi Laudensis.* In illud: *Exprobrauit incredulitatem eorum* &c. et ipsa non semel relata.

Fol. 413. *Sermo episcopi Laudensis.* Incipit: *Quanquam noua, que in presenciarum prestantissimi domini et patres orthodoxi estis audituri, visa sunt prima facie aut parte ex vna multum lugubria* &c. Annuntiat mortem *Ferdinandi Aragoniae* Regis (1416. 2. Apr.) et in ejus laudes breviter excurrit. Inter alia: *Quatuor carissima habuit Deum animam ecclesiam et filium, vnde sicut animam Deo tradidit, sic inchoatam ecclesie vnionem perficiendam filio suo primogenito* (Alphonso) *instantissime imparauit* &c. Adlocutionem hanc *Quetifo* ignoratam comperta primum Regis morte in Sessione vel Congregatione habitam mihi persuadeo; sequitur enim